

## II.

# Auszüge aus dem Liber Annalium et Annotationum Conventus ff. Capucinorum Paderbornensium ab anno 1612.

Mitgetheilt  
von  
H. v. Sauerland.

In der Bibliothek des Capuzinerklosters zu Dieburg bei Darmstadt befindet sich zur Zeit ein Codex in IV° mit vorstehender Aufschrift. Die ersten drei Fünftel der darin enthaltenen Blätter sind beschrieben, die letzten beiden unbeschrieben. Diese bieten auf 393 Seiten die Geschichte des Paderborner Capuzinerklosters von seinen ersten Anfängen (1612) bis zum Jahre 1864. Die Aufzeichnungen sind von drei Händen gemacht. Der erste Schreiber hat mit dem Einzug der Capuziner in Paderborn begonnen und auf Grund der Acten des Klosterarchivs die Klosterchronik bis ins Jahr 1790 weiter geführt (S. 1—252). Sein nächster Fortsetzer hat über die Jahre 1790—1797 berichtet (S. 252—261). Der dritte und letzte Aufzeichner hat die Ereignisse bis zum Jahre 1864 notirt (S. 261—393).

In allen drei Stücken sind nicht bloß über die Geschichte des eigenen Klosters und Ordens, sondern auch über die Geschichte der Stadt und Diöcese Paderborn vielfach recht wertvolle Angaben gemacht, und wird es der künftige Darsteller der Geschichte der Diöcese oder der Stadt Paderborn nicht unterlassen dürfen, bei seiner Arbeit diese Paderborner Capuziner-Annalen in sorgfältige Rücksicht zu ziehen.

Aber auch an Aufzeichnungen von allgemeinem historischen Interesse fehlt es darin nicht, und sind es hier namentlich die Berichte über die Erlebnisse während der drei schlesischen Kriege,<sup>1)</sup> welche uns wichtig scheinen und die wir darum als Excerpte in Nachstehendem veröffentlichen:

**A. 1740.** . . . insufficiencia ab anni praeteriti acri hyeme iam ab Octobri saeviente magis magisque saevire duravit ad Majum usque. Universum orbem frigore, fame, ac caritate panis tanta vexavit, ut, si solius recordor Paderbornae, septingentos a portario nostro una Sabbathi numeratos sciam pauperes, quibus panis datus est. Olera ex urticis cocta tam nobiliori quam nostrae mensae deliciae erant; adeo parcos congelata terra verno tempore porrigebat fructus. (S. 134.)

**A. 1741.** Anno quo post obitum augustissimi Romanorum imperatoris Caroli VI. Bavarus in amicitiae foedera traxerat Gallum 1741, Austriacae domus pragmatica sanctio, vi cuius Maria Theresia . . . et scriptis impugnari caepit et armis; quadraginta nempe Gallorum millia sub duce Malleboi sicut castra stativa fixerant Düsseldorpia ad Rhenum magnificumque Regularium s. Augustini Canonicorum Novesii<sup>2)</sup> monasterium aptaverant in nosocomium, sic missa trans Rhenum notabili huius exercitus parte<sup>3)</sup>, monasterii nostri Paderani tabulata duo una cum adiacente pestiferorum domo per submissos commissarios pro valetudinario militum paranda exigunt . . . (Nun wird im größeren Theil der Klostergebäude ein Militärspital eingerichtet.) Vix in his ultimas (sic!) desudaverat artifex, 15 et 6ta Novembris

<sup>1)</sup> Neben diese finden sich auch in der Chronica Conventus Tremoniensis des P. Constantius Schulte (im Archiv der kath. Pfarrkirche zu Dortmund) werthvolle Notizen.

<sup>2)</sup> d. i. Neuß.

<sup>3)</sup> In der Handschr.: parte et.

advenerunt cum infirmis et bene valentes Gallorum duo legiones pedestres, equestres itidem binae; harum una Salzkottenae, Delbrugi et Burenæ, altera aequaliter divisa, tertia alterius parte Neohusii relictæ, reliqui omnes hanc civitatem ingressi sunt . . . (Die Mönche sind durch das eingerichtete Spital auf den kleineren Theil des Klosters beschränkt. Die zum Spital benutzten Räume werden stark beschädigt und durch arge Unsauberkeit befudelt. Zweimal bricht bei der Leichtsinnigen Nachlässigkeit der französischen Soldaten dort sogar Brand aus, der jedoch noch rechtzeitig durch die Mönche gelöscht wird.) Referendo impar sum, quas diu noctuque molestias et foedia tam ab infirmorum, quorum alios febri, alios scabie, alios venerea lue infectos, vulneratos alios, et hinc unum et unum, illine binos et binos uniculcitrae<sup>1)</sup> incubare cum horrore vidisses, lachrymosis gemitibus, quam a saltæ— et gladiatoriae artis amatoribus in seram noctem protractis tumultibus devorare debuerimus. Inconveniens quoque esset, recensere inconvenientias et petulantias plurimas cum mulieribus contra omnes in contrarium attentatos nisus<sup>2)</sup> hospitale infirmorum hospitalisque curatores libere accendentibus patratas, saepe non sine scandalo visas et auditas. . . . Interea quavis die ac nocte moritur unus alterve miles, qui sacco insutus exiguo apparatu quatuor tantum portantibus, praecedente cruciferario, sequente castrensi, extra portam Giers dictam sepeliendus efferebatur.

His aliisque innumeris gravati eramus malis, donec tandem ao. 1742 mille votis expectata dies 14. Iulii D. Bonaventurae sacra, qua, destructo hospitali, Gallorum infirmi suo nos exhilarabant discessu . . . (S. 135—140.)

<sup>1)</sup> Bett. <sup>2)</sup> ergänze: ad.

**A. 1758.** Circa finem Novembris maxima militum Borruссорум, Anglorum, Hannoveranorum, Brunswicensium, Hassorum aliorumque confoederatorum copia occupavit urbem hanc et totam dioecesin ac hybernia fixit. Serenissimus princeps haereditarius Brunswicensis fuit urbis huius et copiarum Brunswicensium commandans.

7. Decembris omnia civitatis huius coenobia plurimo milite fuerunt oppressa. Abdinghoff habuit 40, Patres S. J. 30, Capucini 30, Observantes 21. Hisce 30 venatoribus cibum et potum porrigere debuimus. (S. 173.)

**A. 1759.** In quintam septimanam praeter domum pestiferorum minus conclave in conventu cum contiguo lapidibus strato cubili militibus 23 tormentariis<sup>1)</sup> Hannoveranis cedere coacti sumus, qui 19. Martii cum tota legione principis haereditarii Brunswicensis Cassellas abierunt . . .

24. Iunii advenerunt Paderbornae 130 000, centum et triginta millia, Gallorum sub duce Contades. Agros et hortos omnes non tantum circa civitatem devastarunt, sed ultra duas horas omnem hoc anno maxime arridentem segetem falces gallicae demessuerunt. 29. abiit totus exercitus in Schlangen. (S. 174.)

1. Augusti, Gallico exercitu Mindenae a confoederatis caeso ac fugato, dux d'Armentier, urbe Monasterensi et eius propugnaculo in potestatem Gallorum redactis ac Lipstadio actualiter a 30000 Gallorum obsesso, obsidionem solvit ac cum toto exercitu suo hanc diocesin pertransit Cassellas. Gallos fugitivos insequitur exercitus confoederatorum.

7. Augusti venit princeps Holstein-Gottorp cum 8000 confoederatis, quibus ex supremi regiminis man-

<sup>1)</sup> d. i. Artilleristen.

dato 15 tonnas cerevisiae et ducentos panes ad castra deferre debuimus.

9. Augusti magnus confoederatorum exercitus sub duce Ferdinando principe Brunswicensi retro montem S. Liborii prope sylvam dictam der Boß castrametatus est. (S. 175.)

Monasterium Westphaliae<sup>1)</sup> a Gallis vi armorum occupatum, usque ad 18. Novembris a confoederatis sub Generali Imhoff obsessum, templis et aliquot centum aedibus incineratis, iterum a confoederatis occupatur.

**A. 1760.** 15. Ianuarii super modum fuimus gravati 150 captivis Dillenburgi factis Gallis, quibus per duas noctes praeter hypocaustum in domo pestiferorum omnia in ambitu conclavia concedere fuimus coacti.

28. Ianuarii dies prae ceteris accidit nobis molestus: 100 ex improviso circa medium 6<sup>tae</sup> vespertinae milites Anglii cum 18 foeminis et multis liberis occupaverunt omnia conventus et domus pestiferae, perfractis vi quibusdam ianuis, conclavia, quibus cibum et potum porrigere fuimus coacti.

Hibernia habuerunt milites confoederati in omnibus vicinis dioecesibus. Ipsemet serenissimus dux Ferdinandus Brunswicensis, supremus confoederatorum mareschallus, aedes Fürstenbergicas in civitate occupavit. Qui in coena domini et feria 6<sup>ta</sup> parasceves erecta in ecclesiis sepulchra Domini cum aliis principibus visitavit et per aliquot annos omissam solemnem figurarum veteris testamenti repraesentationem in parasceve fieri voluit. (S. 176.)

10. Aprilis advenit Paderbornae serenissimus Landgravius Hassiae, inter varias adversitates in fide catholica velut Marpezia cautus.

---

<sup>1)</sup> d. i. Münster.

17. Junii . . . Vedit et obstupuit Padera aliquot centenos transeuntes Scotos Cassellas absque braccis consueto Scotorum more incedentes. (S. 177.)

12. Decembris novam et maximam conventui attulit afflictionem centum Anglorum militum copia, conventum inferiorem et domum pestiferum occupans, in 4<sup>ta</sup> septimanam permanens.

**A. 1761.** In Januario per aliquot dies in conventu nostro inclusi et custoditi a militibus Hannoveranis 225 vi rapti iuvenes et viri<sup>1)</sup>, qui confoederatorum castra sequi coacti sunt. (S. 178.)

Circa finem Junii, recedente milite confoederato ex confinibus nostris, Gallorum exercitus 80 000 iterum urbem hanc et patriam sub famoso duce de Broglio ad tempus occupavit.

18. Julii totam civitatem partesque vicinas, maxime Neuhusium et Elsen, in summam adegit angustiam; subito namque confoederati sub colonello Luckner Gallos aggressi, eos propulsarunt et occupato Neuhusio, Gallis inde fugatis, domos plerasque exspoliavere; Galli vero sub principe regio Saxonico, Xaverio nomine, tormentis bellicis<sup>2)</sup> confoederatos Neuhusio expellere attentantes, magnam et arci et domibus ruinam intulerunt.

In Augusto furor bellicus aliam et huic patriae lugubrem exhibuit scenam, dum dux de Broglio cum exercitu suo ad 30 000 aucto e confiniis Susati, Lipstadii et Erwittae Cassellas et Visurgim repetebat, pede presso insequente eos duce confoederatorum Ferdinando. Quare sub alternis utriusque exercitus stationibus castrisque circa Paderam positis, sata jam flavescentia partim depasta partim depopulata summam annonae frumentorum caritatem induxerunt, ita ut modius tritici 7

---

<sup>1)</sup> Geiseln oder gepreßte Rekruten? <sup>2)</sup> d. i. Kanonen.

imperialibus, siliginis 4, hordeae et avenae 2 ac medio imperiali constaret. (S. 179.)

**A. 1762.** Hac hieme tum ob antecedentes agrorum depopulationes, tum ob frigoris et nivium copiam ac acerbitatem nimium succreavit annonae caritas, ita ut circa pascha modius hordei 6 imperialibus et medio constiterit . . . licet hac hyeme Paderana civitas milite nec Gallico nec confoederato praegravata fuerit, in arce tamen Neuhusana continuam confoederati tenuere stationem non sine incolarum pressura ac clade. Praeterquam enim quod ultra 40 aedes non infimae sortis ob ligni pretiositatem sint ibidem dirutae, nihil oleris, quid dicam panis aut victualium remansit, imo nec spes frumentorum necessariorum, dum agri fere omnes a civitate Paderbornensi Neuhusium versus iam triennio magna ex parte inculti necessitatem induxerunt, non solum pro hoc loco, sed etiam pro tota dioecesi — quia ubique erat vastitas et desolatio — ultra centies mille imperiales qua pro pane qua pro cerevisia partim Cassellas, partim in Floto oppidum principatus Mindensis transferre.

Circa finem Maii dux confoederatorum Ferdinandus princeps copias per hanc ac dioeceses et loca adiacentia diffusas e hyberniis Brakeliam collegit collectoque milite Warburgam se movit, Gallos Cassellis expulsurus, quod secus evenit. Et cum iam in annum 6<sup>um</sup> varia eaque continua miseriарum, vexationum, praesidiorum, vectitationum, contributionum, depopulationum series clade vix restauranda urbem hanc ac patriam afflixisset, pauperies eo devenit, ut in Junio ex praetacto pago Floto 40 modios polentae pro coquenda cerevisia pretio 200 imperialium comparare et pro transportatione huius per 14 asinos — non enim aut raro hisce, sed tantum pro militaribus vectitationibus erat equorum usus — facta

60 imperiales; nam circa initium Junii modius hordei ultra 7 imperiales constituit. Imo quod vix a posteris fidem inveniet, 4 pondo carnis bovinæ aut vitulinæ neenon 4 pondo aselli arefacti solvi debebant imperiali. Ex defectu equorum asinus communiter 50—60 et capra 40 aut 50 imperialibus venum ibat. (S. 182—84.)

Occuparat hac aestate ac late sese diffuderat per Hassiam uterque exercitus, qua Gallicus sub ducibus d'Etrée et Soubise, qua confoederatus sub duce Ferdinandō Brunswicensi; et licet Galli Göttingam prius ab ipsis munitam deseruerint, attamen Cassellas sese defensuros gallica ostentabant fallacia. Hinc Paderborna paulisper respirabat, quamvis nihilominus pagi et civitates militum depraedantium excuret extorsionibus perturbabantur. Ast et hunc pacis et quietis prae-gustum penitus extinguebat amara depauperatae dioecesi a duce Ferdinandō devictis Cassellis praelibata portio, seu potius conscripta 1050000 imperialium contributio sub ferro et flammis comminata, ni quantocius exsol-veretur; quod ad avertendum patriæ excidium magna ex parte est praestitum. Flavescebant hinc et inde agri optima spe messis; ast et hanc exspectationem mures copiosi cum omni fere hordeo et avena depascebunt.

Verum in hoc turbulentō rerum statu languescentem patriam recreabat reficiebatque mille votis expeditus pacis nuncius, Galliam et Hispaniam inter ex una, Angliam et Portugalliam inter ex altera partibus sub-signatae. Ast o inanis hominum spes! vix suspiravimus ad quietem, et ecce sarissarum, gladiorum tormentorumque fulgur et terror civium agricolarumque commovebat viscera, dum cum magna exercitus sui parte in patriæ viscera dux Ferdinandus penetrabat, occupans

in festo Clementis<sup>1)</sup> palatum Neuhusanum. Et quod malum augebat, statim 60 000 rationes, ut vocant, in avena, foeno et stramine, e minutissimis dioeceseos reliquiis corrasae, partim Paderbornae<sup>2)</sup> partim Neuhusium comportari debebant. Super hoc exigebantur 9000 modii tritici et silihinis, et miles usque ad discessum sumptuose a cive et rustico erat alendus. Tandem exhausta dioecesi in vigilia nativitatis Domini dux Ferdinandus Brunswicum discessit, relictis usque ad 15. Martii 1763 fere 500 militibus Hannoveranis intra hanc civitatem.

**A. 1763.** Sub initio huius anni inita sunt foedera pacis a rege Borussiae cum statibus imperii . . .  
 (S. 185—86.)

---

Aus den französischen Revolutionskriegen finden sich in unseren Annalen nur wenige Notizen von allgemeiner Wichtigkeit:

**A. 1793.** Hoc anno se extenderunt calamitates belli, et Gallis Belgium occupantibus confratres Galli et ecclesiastici emigrantes ad provinciam nostram et ultra Rhenum usque ad nos descenderunt pro receptione et hospitio. Erat ergo miseria videre, qualiter hoc anno vel maxime anno sequenti episcopi, ecclesiastici, monachi et moniales e Gallia expulsi in angustiis et penuria per mundum discurrere et circumire debuerint, heu in quale gravamentum conventuum nostrorum, ut tot homines reciperentur et eorum indigentiis subveniretur secundum leges christianaee charitatis.

(S. 253—4.)

---

<sup>1)</sup> 23. Nov. <sup>2)</sup> Iies: Paderbornam.

Bezüglich der Hinrichtung Ludwigs XVI. findet sich dann folgendes Chronogramm:

Viator sta! qVo properas?  
 HeV! ne hIC sItVM transeas  
 Et, qVIIs sit, Vt non nesCIIas,  
 In DIgnans stVpens lege!  
**LVDVICVs reX FrancCiae,**  
**ConIVX Antonettae aVstrIaCae, sVIIs a**  
**sVbDITIs,**

BonVs ab InIqVIIs, InnoCens a reIs CapIte  
 pLeXVs.

Festo sanCtae AgnetIs hIC agnVs,  
 GaVDentIbVs feroCIter LVpIs,  
 SagInatIs pestIfera esCa  
 DetestabILIs phILosophIae, oCCVbVIt.

(S. 255.)

**A. 1794.** In Augusto ad nos confugerunt cum ecclesiae pretiosis et reliquiis sanctorum et insignibus imperii reverendissimus decanus Aquensis cum aliquot canonicis et suo syndico.<sup>1)</sup>

In Octobri Carthusiani Colonienses cum pretiosis suis venerunt ad nos; duo cum uno Carthusiano Gallo et famulo fere per 5 septimanas sunt apud nos morati. Dein sumentes hospitium in collegio Exiesuitarum in Büren, pretiosa sua apud nos reliquere. Eodem tempore etiam ad nos cum ecclesiae suae suppelletilibus fugerunt canonici Leodienses capituli s. Pauli. (S. 256.)

**A. 1801.** Trappistae e Gallia in Russiam emigrantes et hinc in diocesis Paderb. revertentes in Buren, Welda, Driburg et Paderbornae domicilia sibi compa-

<sup>1)</sup> Vergl. Ahlemeyer's Bericht über die Krönungs-Insignien der deutschen Kaiser im Kapuzinerkloster zu Paderborn in Zeitschrift für Gesch. u. Alterthumsk., Westf., 40,2 S. 150 ff.

rabant ad pueros pauperes educendos et nutriendos. In urbe Paderana inhabitabant domum oeconomi Rempe prope conventum nostrum Paderb. Item moniales Trappistae et Carmelitessae et Capucinessae ex Gallia profugae in domibus civium habitacula acceperunt. Monachorum Trappistarum dioecesis nostram aliquot post annos (1804) relinquentium unus nominé Josephus laicus in habitu civili in conventu nostro Paderb. multos per annos . . . habitabat. (S. 273.)

**A. 1802.** Hoc anno alma nostra provincia Coloniensis infaustam nimis ac luctuosam subiit mutationem. Dumque omnes nationes cruentissimum — quod iam anno 1791 ferro et flamma in florentissimam Germaniam saevierat — bellum finitum ac pacem terra marique constitutam gratulabantur, venerabilis devastatae Germaniae clerus exoptatae pacis olivam sibi soli praeruptam ac internecinum illatum lugebat bellum. Siquidem omnes religiosae corporationes tam collegiate quam monasticae, bonis suis et ecclesiasticis beneficiis, dignitatibus spoliatae, die 4. Julii 1802 in sinistra Rheni ripa declarabant supprimenda. (S. 274.)

4. Septembri trans Rhenum publicatum fuit decretum suppressionis omnium capitulorum et religiosorum utriusque sexus erga pensionem, si a parte sinistra oriundi sint; qui vero in parte Rheni dextra nati erant, cum itinerario 25 coronarum trans Rhenum missi sunt. (S. 276.)

23. Novemb. huius anni mandato imperii Germanici Ratisbonae facto episcopatus Paderbornensis saecularizatus et regi Borussorum, qui illum iam 3. Augusti occupaverant, traditus est sub principe episcopo Egone de Fürstenberg, qui pensionem annuam accepit. (S. 278.)

**A. 1803.** Hoc anno 1803 suppressae sunt abbatiae resp. praelatura . . . virorum, scil.: 1. In urbe Pa-

derana Abdinghof Benedictinorum, 2. Hardehausen Bernardinorum, 3. Dalheim Augustinianorum, 4. Böddeken Augustinianorum, 5. Marienmünster Benedictinorum.

Data est conventionalibus expulsis pensio annua. Etiam monasteria foeminarum intendebantur supprimi, sed deficiente consensu episcopi, qui requirebatur iuxta recessum imperii, pro hoc tempore perstiterunt.

(Die Abtei Abdinghof hatte damals außer dem Abt Wolfgang Heidtland von Schmallenberg noch 20 Patres, 6 Cleriker, 2 Novizen.) Abbas accepit pro annua pensione 1500 imperial., duo seniores acceperunt uterque 300 imperial., caeteri R. patres et clerici 250 imperial., novitii semel pro semper 700 imperial. (S. 278—90.)

**A. 1804.** Hoc anno per mandatum principis Hassodarmstadtensis, fratribus nostris e claustro Rüthensi 16. Aprilis depulsis familiisque Werlensi, Stadtbergensi et Brenschedensi adsociatis, coenobium nostrum Rüthense assignatum fuit P.P. Minoritis pariter e monasterio<sup>1)</sup> Brilonensi expulsis. Item tribus hisce praefatis conventibus nostris ab eodem principe omnis communicatio cum superioribus ordinis nostri est interdicta. (S. 286.)

**A. 1805.** De mandato camerae regiae studiosi nostri sicut et ceterorum religiosorum ordinum praelectionibus publicis interesse iussi sunt, utique cum notabili damno religiosae disciplinae. Caetera taceo!

Annus praesens **1806** religioni catholicae, praeprimis vero Mendicantium ordinibus, sub principibus acatholicis totalem ministrari videbatur interitum. Ast scena in melius mutata est, et saltem nos a iugo protestantico liberati liberius iam respirare incipimus.

(S. 287.)

---

<sup>1)</sup> Hdsfchr.: monasteriis.

---

**A. 1834.** Existebant ergo hoc anno 1834 in 7 monasteriis<sup>1)</sup> 21 patres et 16 laici. At per edictum regis Borussorum omnes hi conventus septem superstites hoc eodem anno 1834 unus post alterum suppressi. Favore autem tali gaudemus, ut singulis mensibus nobis ex aeraris publico regis incunctanter pensio solvatur. Edictum suppressionis sonat sic.:

Auf Ihren Antrag vom 16. v. M. unterrichte ich Sie, die Capuzinerklöster zu Paderborn, Werne, Werl und Brenschede, sowie die Franziskanerklöster zu Recklinghausen und Geeske aufzuheben, und will nach Ihrem Antrage den noch vorhandenen 16 Priestermönchen und 14 Laienbrüdern die in Antrag gebrachte Pension mit überhaupt 3450 Rthlrn. aus dem allgemeinen Pensions-Aussterbefonds bewilligen. Die Gebäude und Gärten der Klöster Recklinghausen, Werl, Paderborn und Brenschede sollen respie den Progymnasien und Ortschulen, dem Bisthum, der Eremitenanstalt und den Ortseinwohnern zum Gebrauche für den Gottesdienst und Schulunterricht, respie zur Wohnung für den Geistlichen und Schullehrer überlassen werden, und den Einwohnern zu Brenschede will ich außerdem zur Unterhaltung ihres Gottesdienstes und ihrer Schule, welche beide bisher vom Kloster versehen worden sind, aus Gnaden einen jährlichen Zufluss von 150 Rthlrn. bewilligen, wozu die Naturalien, welche mehrere der aufgehobenen Klöster aus Domänenfonds beziehen, verwendet werden können. — Sie haben hiernach das Weitere zu verfügen.

Teplich, den 4. Juli 1834. Friedrich Wilhelm.

An die Staatsminister Freiherrn von Altenstein und Maassen.

<sup>1)</sup> Paderborn, Brakel, Werl, Werne, Essen, Kaiserswerth, Brenschede. — Im J. 1851 wurde das Kloster in Werne von dem Magistrat wieder an die Kapuziner zurückgegeben. (S. 376.)

Annua pensio, quam nobis capucinis Paderbornensis concessit rex Borussiae, haec est:

1.	Patri Ivo	.	.	.	170	imperiales
2.	„ Ernesto	.	.	.	150	„
3.	„ Heraclio	.	.	.	150	„
4.	„ Francisco Josepho				150	„
5.	Fratri Joanni	.	.	.	70	„

(S. 343—345.)

Nachträglich bringe ich aus den Annalen noch eine culturgeschichtliche wichtige Aufzeichnung aus der trüben Zeit nach dem 30jährigen Kriege:

**A. 1656.** Hoc anno prodiit in lucem hic Paderbornae, Brakeliae et hinc inde per totum quasi episcopatum Paderbornensem stupenda ac miseranda quaedam machinatio diabolica. Undique erumpebant ac sese manifestabant obsessi et obsessae. Nec tamen erant vere obsessae, sed partim erant sagae<sup>1)</sup> et benefici, partim erant perversissimi homines, qui simulabant se obsessos et obsessas. Posuitque haec diabolica machinatio totam patriam in maximam confusionem, longe lateque per externa regna et provincias deferebatur haec pessima fama, quod scilicet Paderborna scateret obsessis. Haec miseria incepit huius anni 3<sup>ta</sup> Maji, qua die venerunt Brackelia Paderbornam duae sorores simulantes se obsessas, quarum mater et avia fuerunt ut sagae combustae. Has incepit quidam pater Jesuita nomine Bernardus Loeper exorcizare. Cumque esset ac maneret opinionis, quod diabolus sub exorcismis mentiri non posset, hinc quidquid istae barthae<sup>2)</sup> interrogatae a P. Löper responderent ac dicerent, ipse ac plurimi alii, etiam intelligentes viri, tanquam evangelium credebant.

<sup>1)</sup> d. i. Hexen. <sup>2)</sup> lies: barathariae = Betrügerinnen.

Dumque P. Löper supra modum foveret istas putativas obsessas, non modo nullam liberavit, sed brevi spatio crevit numerus utriusque sexus obsessorum ultra centum in sola civitate Paderbornensi. Cumque capucini a principio se opponerent et omnino negarent tales esse vere obsessos, maximam indignationem incurserunt tum apud principem, tum apud quosdam cathedralis ecclesiae canonicos aliosque ecclesiasticos et religiosos, tum etiam apud saeculares viros consulares ac iuris doctores, qui omnes mordicus (sic!) defendebant, tales esse verissime obsessas. Exitus tamen et ipsa praxis tandem comprobavit, omnes esse deceptos. (S. 26.)

**A. 1657.** Toto hoc anno miseria ista putativorum obsessorum miserandum in modum excrevit, ita quod talis res vix sit audita a saeculo. Illustr. princeps undique consilia et remedia exquirit, erantque valde contrariae opiniones. Interim P. Loeper advertens, quod haec machina diaboli tenderet etiam in confusionem capucinorum, ipse ferventer insistit exorcismis publicis, istas putativas obsessas et obsessos deducendo ab uno loco ad alium. Sed non tantum nullum fructum faciebat, sed in dies novas ac novas confusiones, tum quod rectum ordinem exorcizandi non observaret, sed curiosas interrogationes communiter intermisereret. Accidit, quod plurimi honestissimi viri et mulieres, religiosi ac saeculares, publice diffamarentur et ab ipsis putativis obsessis pro sagis et beneficis exclamarentur, omnes scilicet illi, qui dicebant illas non esse sagae et benefici, inter ceteros etiam capucini et in specie P. guardianus Brakelensis. Et quia iste P. Löper isto suo modo agendi ordinem capucinorum plurimum diffamaret . . . opposuit se egregie M. R. P. Benedictus provincialis, scribens: Vindicias capucinorum contra P. Löper; sicutque ex utraque parte bis terve replicando istum ita devicit,

quod iubente Illustriss. principe debuerit Paderborna discedere. (S. 27—28.)

**A. 1658.** Interea etiam in principio huius anni insolentia istorum putativorum obsessorum eo usque excreverat, quod turmatim incidentes multi homines et specialiter capucini non erant securi in plateis, sed diversis vicibus sic aggressi, quod etiam vi debuerint se defendere; et erant tam miseri diaboli in talibus obsessis, quod baculos aliaque quaecunque arma timerent. Propter quae et alia plura indicia Illustriss. princeps et illi, quorum intererat, incepérunt tandem sequi consilium M. R. P. Benedicti capucinorum provincialis, videlicet ipsos obsessos ab invicem separando; cumque singuli accuratius examinarentur, inventum est, omnia merissimas fuisse daemonis illusiones ac deceptions: plures enim ex ipsis, qui se obsessos simulabant, utriusque sexus deprehensi sunt esse beneficos et sagas, et ut tales publice combusti sunt. Alii etiam plurimi utriusque sexus deprehensi sunt, se ex malitia simulasse obsessos, ut suas nequitias, odia et invidiam impune exercere valerent sub praetextu, quod ita agitarentur a diabolo; ex quibus quam plures virgis caesi, stigmatizati et ex patria bannizati fuerunt, alii aufugerunt, alii sua sponte ab obsessione liberati sunt. In summa: brevissimo tempore nullus amplius obsesus nullave obsessa in patria Paderbornensi reperiebatur. Et hic bene notandum est pro aeterna memoria, quod non facile credendum sit energumenis sive obsessis, nisi praevie, non uno tantum sed plurimis modis probentur, an sint vere obsessi, et an in veritate liberari desiderent; quia saepissime sunt pessimae sagae, quae se obsessas simulant, vel sunt alii perversissimi homines, qui a sagis inducti, ut se simulant obsessos. De his habentur multa in Archivis. (S. 28—29.)